Deo optimo max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & sancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

(1750) Lisez 1450

QUÆSTIO MEDICA,

Quodlibetariis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 10. Januarii.

M. FRANCISCO GOUEL, Doctore Medico, Præside.

An in acutis morbis, Epidemiæ constitutionis, maximè habenda Ratio?

MORBORUM, quibus humana vita conflictatur, acuti alii, alii chronici. Hi lentâ carnificinâ excruciant, fiuntque, vèl sensìm inclinatâ valetudine, sìc ùt minùs irritatâ naturâ, non accendatur febris; vèl impactâ materiâ partibus quibusdam, præ imbecillitate suâ vitium non excutientibus, quemadmodùm in nervorum affectibus contingit; vèl læsis coctionibus, tùm ventriculi, tùm singularum partium, undè perennis morbi fomes. Acuti morbi mobiliorem perturbant corporis partem, molem nempè sanguineam; indéque celeres sortiuntur motus. Hi, licèt diversam quandóque faciem præ se ferant, nequaquàm velùt naturæ sese malè tuentis errores totidèm habendi, nequè novi in singulis ægrotantibus putandi; quòd in humoris cujusdam tùm maturatione, tùm expulsione positi sunt. Hoc effectum dat natura æquè certâ constantique methodo, ac in officinis Chemicis, definitis temporum intervàllis, has, illasve mutationes mixta subeunt; animantia, vegetantiaque statuto tempore ad ætatis florem provehuntur; optimè itaquè notata in nonnullis morbi historia ad alios transferri potest. In hoc discrepat à merâ experientiâ Medicina dogmatica, tùm quod causis indagandis immoretur. Causæ porrò non fingendæ, sed inveniendæ. Remotiorum causarum investigatio parùm proficua, si artificis ingenium tantummodò excitet; forsàn haùd satis illæ possunt comprehendi, multis nominibus; præsertìm verò, quòd nil omninò fiat ob unam causam, sed ob multas, quas habere in numerato perdifficile. Saltèm immeritò quærentur, latentes causæ, cùm physices occultæ etiamnùm & ignoratæ consectanea sint & corrolaria. Ad jacienda curationum fundamenta causæ tantùm desiderantur. Evidentes & conjunctæ, & quæ effectibus declarantur, sufficere possunt; túncque, velutì re bene gestâ, sibi gratulari debet Medicus, si morbi cognoscendi ansam, plures pari modo ægrotantes dederint, & destinatam animo & ex morbi Phœnomenis erutam medendi Methodum experientia suffragio suo confirmaverit.

IN acutorum curationibus Naturæ tantùm ministra Medicina, quæ in diuturnis affectionibus vulgò magistra. Natura potens & vegeta contagium fortè admittit, indè pessumdatis spiritibus vitæ authoribus, concidit, ut in pestilentiâ recentiori; vèl eadem lethale vulnus accipit; at vi mali pressa demùm, distorta planè & inopinata symptomata profert: quæ præsens calamitas morbi maligni nomine donatur. Est ubi Natura in morbi causam nervosè tota simùl insurgit; protinùs in societatem operis ars medica accedit. An causâ cognitâ remedia specifica adhibendo? optandum. At vitiosos sapores habet in morbis sanguis, à sensibus & à cognitione humanâ remotissimos, nullis certis indiciis æstimandos, nullis certè saporibus oppositis corrigendos. Generalioribus igitùr auxiliis naturæ Methodum in acutis absolvendis efficacem juvare tenetur Medicus. Ideò morbi species, magnitudo, motus, mos pernoscenda, his neutiquàm, in hoc-ce præsertìm casu carere potest Medicina, nec ferè unquàm levi errore in acutis erratum est; sed quàm hæc spes in angusto. Morborum frequentiùs, quàm quis cogitaverit, incidunt Monstra. Morbi quique nascentes, non secùs ac tenella plantarum germina, in primo ortu similitudine imponunt: sic colicus dolor nephritim non raró æmulatur, rheumatismus, arthritica, & venerea cruciamenta. Nèc tempus cogitandi aut experiundi, occasio in acutis præceps relinquit. Ἄτομον quid corpus humanum, mira inter ejus partes συμπαθεία. Humores multiplices patiuntur alterationes; hinc partium solidiorum irritatio, quarum motus & agitationes humorum orgasmum ampliùs promovent. Nempè vìx quidpiam œconomiam animalem violàverit, exurgit continuò symptomatum seges, quæ multitudine suâ Medici mentem trahunt hùc, illùc, ut in ambiguo sit: quid vi morbi fiat, perculsis deletisque spiritibus, corruptâ interiori succorum crasi; quid vi Naturæ, humoribus effervescentiâ generosâ corpuscula infesta exigentibus, quid ægrorum sibi plùs æquo indulgentium, mollitie. Si verò plures eodem tempore simili morbo teneantur: remotis symptomatis iis, quæ affectus ferè omnes promiscuè comitantur; iis rejectis, quæ singulorum temperiei debentur; genuina signa, quæ in omnibus propè modùm eadem, possunt deprehendi; sic ut adjunctâ à juvantibus & lædentibus indicatione, non commentitia, sed ex Naturæ judiciis petita θεραπεία paretur.

MORBI populares à re maximè communi ortum ducere videntur; auræ vitalis affectionibus potiùs tribuendi; cùm cibi, à quibus nemo temperare potest, tùm varii, tùm variè conditi à diversæ sortis & mentis hominibus usurpentur. Aër solemnes singulis annis caloris & frigoris, humiditatis & siccitatis, rarefactionis & condensationis patitur vices. In hyeme crudior, vere accedente aperitur à sole & maturatur, per æstatem fervet & peruritur, in autumno, fervidiore tùnc temporis solo juvante, modò totus incalescit, modò ad occasum properante sole, subitò refrigeratur, inæqualiter conquassatur ac propemodùm corrumpitur. Præterea pro vario solis ad certos montes, aquas, nives, terras aspectu, venti, nebulæ, & id genus alia, definita anni tempora affectant. Ab his omnibus morbi pro singulorum statu & temperie. Sanguis in animantibus, quod & oculis ipsis in vegetantibus usurpare est, pro aëris conditione, modò generosior fit, modò vappidior. Indè ut ætates, ità tempestates sui morbi quasque manent, cum præsertìm accidunt mutationes repentinæ, circumstantiis innumeris æstatem hyemi, hyemem æstati mediæ inferentibus. Annos quoàd manifestas aëris qualitates dissimillimos, eadem morborum Epidemiorum familia infamat. Popularis constitutio forsàn ab inconspicuis fermentationibus in visceribus terræ, mutationibusque iis, quæ terræ motibus abundè declarantur, vèl effluviis mineralibus, quibus terra dehiscens aërem infecerit. Ejusmodi in aëre diathesis maturationem velutì quamdam experitur, sua nanciscitur ortûs, incrementi, statûs & decrementi tempora. Quamprimùm nascitur, vìx sibi peculiaria facit symptomata, tanquàm sub Epidemio alio merens, mòx sensìm aucta ea profert signa, quæ Naturæ suæ magis conveniant, tandèm mitescunt inimica corpuscula, nec jàm spiritus extemplò impetentia afflatu pestifero enecant, sed humoribus crassioribus potiùs involvi se patiuntur, donèc tandèm à reliquo aëre saturata præcipitentur, & ingruenti diversæ indolis Epidemiæ pesti locum dent. Annorum affectiones occultæ à manifestis planè non oriuntur, tamèn ab iis continentur & definiuntur; & pendent præcipuè ab æquinoctiis, in quibus quoquè caloris & frigoris magis subitæ mutationes. Vernales affectus ab æstate debellantur, eorum mitior indoles ab humorum insipidâ colluvie potissimùm: autumnales longè deteriores orti ab ichore virulento vehementium dolorum authore, hyeme ingruente, intercidunt, donèc sæpiùs insequentibus annis, ut aves & plantæ ratis temporibus, stationem suam repetant.

MORBI acuti partìm ab humore quasi venenato intùs genito nascuntur, admisso errore in sex rebus non naturalibus, partìm ab inconspicuis corpusculis aëri innatantibus, ut in gravi loco quivis, (ni temperies peculiaris obstet) statim periculosè decumbat. Aëris injuriis patemus toti, quanti sumus, salivâ commistus interiora subit, undè cardialgia, morborum pestilentialium plerúmque prodroma, sanguinem in pulmone ingreditur, succos omnes imprægnat. Hìnc vìx morbi futuri sunt, in quibus aëris constitutioni multa jure non tribuantur, præcipuè verò acuti, quòd aër fluidiores corporis partes, spiritus & sanguinem, ex quibus ii, faciliùs moveat. Morbus vulgaris aperto marte hoc vèl illud animalium genus, hanc illamve ætatem, hunc illumve sexum, sortem quoquè certam & conditionem impetit, aut gliscit occultò & pro singulorum temperie, consuetudine, vitæ instituto, symptomatis à se invicem valdè discrepantibus stipatur. Cum aliis morborum causis longè plurimis simùl concurrit, & affectus quoslibet per id temporis grassantes ad ingenium suum detorquet, & suo notat caractere. Indè certis annis anomala anginæ, pleuritidis, peripneumoniæ genera, remediis lectissimis, quæ sæpissimè aliàs profuerunt, haudquaquàm cedentia. Ea tùnc non continuò maligna & mali moris pronuntientur, nec ideò propinentur alexiteria; grassantis Epidemiæ luis, in quâ Natura materiam infestam in hanc, illamve partem amandat, symptomata potius censeantur; atque in hanc, tanquàm in mali radicem dirigatur curatio. Nec Epidemii sine febre, nec eâ quoquè carent acuti, imò febris cujusdam modò latentis, modò manifestioris morbi acuti quilibet vèl symptomata sunt, vèl ἐπιγινόμενα; partem itaquè commotionis in sanguine, furente acuto, accensæ constitutio Epidemica pro jure suo sibi vendicat, cum talia creare eodem tempore apta sit. Febrium istarum nomen apud vulgum idem, Natura planè diversa, longe varia curatio. Facem præfert morbus vulgaris. Earum indolem alicubi manifestè declarans & veram Naturæ in ipsis debellandis Methodum. Sic debacchantes latè febres intermittentes ostendunt febrim continuam, quæ tempestatem infestat, copiosis sudoribus spontè obortis terminari; febri isti, si langueat, non secùs ac musto crudiori, fermentum & calcar addendum, quorum ope fæces generosè evolvantur & exigantur. Pestis in febre continuâ comite non cunctandum edicit, sèd sudoribus statim elicitis, qui haùd inviti, & bonis ægri rebus sequentur malignum fermentum exemplò abigendum. Si dysenteria sæviat, catharsi potiùs parebit febris istius constitutionis.

IGNOTO morbo nè adhibeantur remedia, nè simùl cum morbo & pharmaciâ Naturæ depugnandum sit: néve præposterâ curatione symptomata nova accersantur, quæ legitimis tenebras offundant, & pro maligno morbum traducant. Ad magna præsidia tùnc suspenso pede eundum; Natura optimâ victûs lege institutâ morbum patefaciet, vèl etiàm sanabit. Acuti morbi ea demùm vera curatio, quæ Naturam ducem sequitur, ut ei affectus sponte suâ cedere videatur. Ex obviis symptomatis quibusque morbus non statìm intelligitur, multa ob partium consensum fiunt, multa ob peculiarem temperiem; ex his inter se collatis, in palæstrâ Medicâ exercitatus causas eruet. Optàndæ profectò intimæ causæ, conjunctis saltem & generalioribus immorandum. In acutis constitutionis popularis consideratio & necessaria, & perutilis. Hi vèl à vitio intestino, vèl à manifestis aëris secundùm tempestates qualitatibus, vèl ab ejusdem occultis affectionibus, ità ùt sæpiùs causæ illæ omnes conjungantur. Aëris in acutis magna vis, cùm sanguinem & humores destinatum acutis campum promptiùs afficiat. Illi itaquè plerumquè novi, illorum historiæ jàm pridèm traditæ nòn tantoperè fidendum, quàm de integro quotidiè condenda; quot enìm modis aër corrumpi potest & immutari! Hoc-ce auræ vitalis in acutis jus tàm insigne quid aliud? Quàm τὸ θεῖον in affectibus ab Hippocrate tantoperè commendatum, sine cujus cognitione mancam omninò in acutis causarum expositionem edicit. Τὸ θεῖον adesse declarat sæpiùs morborum anomalia ipsorumque nascendi tempus. Ordinariam tempestatem haud temerè deserent morbi, quìn Epidemiæ constitutionis symptomata mera habenda sint: pariter affectus vulgaris licèt à solemnibus tempestatum vicissitudinibus planè non pendeat, tamèn ab his coërcetur, & certas potiùs infestaverit: τοῦ θείου certiorem cognitionem suppeditat experientia, morbis, qui eodem tempore grassantur, inter se collatis; divino alicubì naturam suam aperiente. Quî itaque fieri possit, quominùs periculo suo morbi genium detegant ii, qui primi decumbunt: & therapeiam, à juvantibus & lædentibus potissimùm tractam, suppeditent; undè in amplis populosisque civitatibus acutorum facilior, promptiorque curatio.

Ergò in acutis morbis, Epidemiæ constitutionis, maximè habenda Ratio.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes-Baptista Doye.
M. Urbanus Leaulté.
M. Michaël Pichonnat.
M. Franciscus Picoté de Bellestre.
M. Nicolaus Bailly.
M. Joannes Daval.
M. Claudius Guerin.
M. Paulus Mattot.
M. Carolus le Long.

Proponebat Parisiis PAULUS DE TOULLIEU, Parisinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1692.